

vel infallibiliter non fieret, quam partitionem in toto lib. 1 et 2 explicaturi sumus. Secunda est, quia hi actus interdum sunt perfecte humani et liberi, et sufficienti consideratione rationis elicit; alii vero sunt sine libertate facti ex necessaria motione Dei, et absque sufficienti consideratione et deliberatione hominis elicit, ad eum modum quo contingit esse in nobis motus cogitationum vel appetitionum indeliberatos ac naturales, qui dicuntur primo primi. Priores actus perfecte humani spectant proprie ad primum membrum gratiæ actualis, quod supernaturales actus continet; tum quia isti sunt proprie et perfecte nostri, quia illorum sumus domini; tum etiam quia alii actus necessarii sub auxiliis actualibus continentur, et ita semper loquemur. Quia, licet in illis actibus naturalibus distingui possit, et ratio actus vitalis integri et consummati in sua ratione, et ratio viæ seu tendentiæ ad illum, illa distinctio solum est physica, et ad moralem gratiæ considerationem parum confert. Tertia veluti subdivisio illius membri supernaturalium actuum humanorum esse potest, quia quidam illorum antecedunt habituales iustitiam vel tempore vel saltem natura, alii subsequuntur; priores solent esse dispositiones ad iustitiam, posteriores vocantur fructus iustitiæ, et ita uno vel altero modo ad gratiam sanctificantem pertinent. His addi possunt divisiones secundum varias virtutum species, de quibus in libro secundo dicendum est.

11. *Multiplex actualis auxiliatricis gratiæ acceptio.* — Tandem hæc etiam gratia actualis, ut de auxiliis dicitur, multiplex est; tamen, quia illorum auxiliorum varietas in libro 3 et sequentibus ex professo tractanda est, hic tantum ad usum nominum præ oculis habendum tria breviter prænotabimus. Primum est, novem esse præcipuas voces, quibus hæc actualis gratia nuncupari solet. Primo enim dicitur hæc gratia vel motio *præveniens*, quia tempore vel natura præcedit vel meritum, vel actum, vel influxum liberi arbitrii, et ita hominem prævenit, et in idem redit, si vocetur *præmotio* gratuita, sive auxilium *præmovens*, nam commune est omni actuali gratiæ spiritualiter movere animam; ideo enim actualis dicitur, quia in actuali motione consistit: cum ergo dicitur præmotio, significatur antecessio temporis, vel naturæ, quam etiam nomen *præveniens* significat. Secundo, dicitur *concomitans*, seu *comitans*, quia simul cum ipso libero arbitrio influit in actum, et ab aliquibus vo-

cari solet *auxilium simultaneum*. Tertio, dicitur *subsequens*, quia supponit vel aliam gratiam, vel aliquem actum liberum ex gratia factum, ratione cuius datur. Quarto, vocatur *excitans*, quia hominem non attendentem, et quasi dormientem a somno excitat, mentem actualiter illuminando, vel cor ejus tangendo. Quinto, dicitur *adjuvans*, quia ipsum hominem, ut actu operantem, juvat. Sexto, dicitur *operans*, quia solus Deus per illam in homine operatur, solus, inquam, id est, sine libera hominis cooperatione. Septimo, dicitur *cooperans*, quia cum ipso libero arbitrio actu operatur. Quibus adduntur nomina gratiæ sufficientis et efficaciæ, quæ easdem gratias significant, easque fere omnes subdividere possunt: et nunc perfunctorie possunt ita exponi, ut sufficiens dicatur ratione virtutis et potestatis quam habet ad operandum: efficax vero ratione actualis effectiois, quam vel ex se, vel ex modo quo datur, infallibiliter habet. Ratio autem prædicti numeri non est alia, nisi quia illæ voces sunt usitatæ a Patribus, ad significandas gratias actualium auxiliorum, et illæ sufficienter significant omnes divinas motiones necessarias ad opera gratiæ, saltem sub generalibus rationibus et habitudinibus earum, ut in libro quarto, capit. tertio, dicturi sumus.

12. *Admitti non debet vox nisi quæ aliquam ex dictis significet vel in Patribus sit.* — Quamobrem non sunt facile aliæ voces in hac materia admittendæ vel introducendæ, nisi aliquas species prædictarum motionum significant, et in usu Sanctorum Patrum inveniuntur. Sæpissime enim significantur aliquæ ex prædictis gratiis nomine *vocationis*, *illuminationis*, *inspirationis*, et *tactus cordis*, ut in Concilio Trident., sess. 6, et in Arausicano et aliis videre licet; sed per hæc omnia significantur eadem gratiæ quæ secundum alias considerationes aut respectus dicuntur prævenientes, excitantes, aut operantes. Nam gratia actualis movet hominem ad sanctam voluntatem et operationem; unde necesse est ut ab intellectu incipiat, ut recte notavit Augustinus de Prædestin. Sanctorum, c. 2, et quæst. 2 ad Simplician.; et ideo prima gratia, quæ hominem prævenit et excitat, recte dicitur *vocatio*, quia hominem vocat ad bene operandum; et dicitur *illuminatio*, quia aliquid manifestat intellectui, et omne quod manifestatur lumen est, ut dixit Paulus, et ab Augustino supra et sæpe vocatur *sancta cogitatio*. Inspiratio vero dicitur, vel quia venit ab Spiritu Sancto, qui

ubi vult spirat, vel quia voluntatem etiam excitat et movet, unde actus cordis merito appellatur: nomine enim cordis voluntas significari solet, juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quamvis possit etiam ad totam mentem et intellectum referri, juxta illud: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

13. *Cur prædeterminatio dictis non jungatur.* — His aliqui addunt gratiam *præoperantem*, solum quia illa voce semel usus est Prosper in epistol. ad Augustinum; sed illa coincidit cum gratia operante, et illa particula *præ* solum indicat operantem gratiam esse etiam prævenientem, ut infra suo loco dicam. Addunt præterea nomen *prædeterminantis* gratiæ, seu auxilii; nos vero nunc ab hac voce abstinemus, quia nec in Scriptura vel Conciliis, nec in Augustino, aut aliis Patribus, vel antiquis theologis illam invenimus, ad significandam aliquam gratiam usurpatam. Et potest esse ambigua, nam prædeterminatio interdum significat externum propositum personæ prædeterminantis, et sic in donis gratiæ pertinet potius ad gratiam prædestinationis, vel electionis Dei, quam ad internam gratiam, de qua nunc agimus. Potest etiam significare internum impulsus immisum voluntati ad determinandam illam, et sic potest vox illa falsum sensum inducere, ut in libro quinto videbimus.

14. *Præparantis et prædefinientis vox excluditur.* — Facilius admitti posset vox *præparantis* gratiæ, quia frequenter Augustinus utitur in hac materia illis verbis, quæ secundum Septuaginta leguntur Proverb. 8: *Præparatur voluntas a Domino*, utique per gratiam; datur ergo gratia præparans. Sed hæc etiam vox ambigua vel multum generalis est, quia interdum significat præparationem extrinsecam, quæ fit per propositum Dei, et sic dixit Augustinus de Dono persever. c. 14: *Prædestinatio est præscientia, et præparatio beneficiorum Dei*; et in hoc sensu non spectat ad gratiam, de qua loquimur, sed ad gratiam increatam et extrinsecam. Alio modo significat *præparatio* intrinsecam subiecti dispositionem et præparationem, et sic multis etiam modis potest voluntas per gratiam præparari. Interdum enim ita præparatur, ut ipsa se præparet, et tunc illa vox non tam significat auxilium, quam actum humanum perfectum, quo voluntas se disponit cum Dei auxilio ad ulteriorem gratiæ perfectionem. Aliquando vero præparatur a solo Deo, et tunc gratia præparans eadem est, quæ gratia præveniens aut excitans, vocando, illuminando,

etc. In hac vero significatione vox illa præparantis gratiæ usitata non est. Idemque fere est de gratia *prædefinitionis*, quam aliqui inter auxilia ponunt, imo et prædestinationem et præscientiam. Sed hæc non pertinent ad gratiam intrinsecam et creatam, de qua nunc tractamus: nec proprie dicuntur auxilia, quia per se non operantur in nobis, nec nobiscum, ut postea videbimus. *Concursus* etiam divinus, qui ad hæc opera datur, inter has gratias actuales numeratur, quod in bono sensu verum est, et sub adjuvante gratia comprehenditur. Quomodo autem intelligendum sit, in fine libri tertii dicemus.

15. *Hoc auxiliantis gratiæ donum est supernaturale in substantia, vel in modo.* — Secundo, circa idem genus gratiæ actualis et auxiliantis, et omnia membra ejus, quæ explicuimus, oportet advertere, sicut de actibus ipsis diximus quosdam esse in entitate supernaturales, alios in modo, ita etiam hoc donum gratiæ auxiliantis esse posse vel in se supernaturale absolute, vel solum ratione ordinis, seu modi, scilicet, quia in entitate sua naturalis est ordinis, datur tamen per modum beneficii gratuiti. Et primum dici potest supernaturale quoad substantiam, maximeque datur ad opera supernaturalis ordinis, quæ supernaturalia quoad substantiam esse dicuntur. Secundum dici potest supernaturale quoad modum, daturque maxime ad actus morales in substantia etiam sua naturales, licet interdum dari etiam possit, ut aliquo modo juvans ad actus per se infusos efficiendos. Quæ partitio veram doctrinam continet: non possumus autem hoc loco illam exacte declarare, præsertim quoad membrum primum ejus, quia pendet ex cognitione ipsorum actuum, qui supernaturales quoad substantiam dicuntur, de quibus in secundo libro dicturi sumus, et ideo in tertio libro illud genus auxilii exacte declarabimus. In altero vero membro, solum est cavendum ne illud genus auxilii cum motionibus vel concursibus Dei mere naturalibus confundatur contra dicta in secundo capite hujus prolegomeni.

16. *Motio naturalis gratia dicitur cum non debito modo confertur.* — Ut ergo hoc explicemus, advertimus tertio, ut motio ordinis naturalis inter auxilia gratiæ computetur, imprimis necessarium esse ut non sit debita naturæ ex vi naturalis dignitatis, seu conditionis suæ, et consequenter neque ex vi naturalis providentiæ Dei secundum legem ordinariam ipsi naturæ consentaneam, quia, ut dixi, quidquid hujusmodi est, non perti-



net ad ordinem gratiæ, sed naturæ; nec potest secure dici gratiam sanctificantem vel gratum facientem aliquo modo esse debitam naturæ; proprium autem auxilium gratiæ inter gratias gratum facientes computatur, ut ostendimus; oportet ergo ut non sit naturæ debitum. Deinde, et consequenter, necessarium est ut, vel in re, vel in modo aliquid in illo præstando Deus exhibeat, præter id quod pertinet ad communem cursum naturæ, id est, ultra virtutem et efficaciam causarum secundarum, prout cursus et actus suos facere sinuntur cum generali concursu Dei. Nam quid-

quid hoc præciso modo fit, in substantia et in modo mere est naturale, et fit ex virtute et concursu debitis naturalibus causis, in quo nihil gratiæ invenitur. Ergo ut motio aliqua ordinis naturalis gratia sit, oportet ut aliquid speciale Deus in ea conferat, vel mutando communem causarum ordinem, vel illas aliter applicando quam per se possent, vel alio simili modo non debito concurrente in ordine ad supernaturalem finem. Tunc autem ratio gratiæ sufficienter in tali motione salvari potest. Quod ex dicendis in libro primo clarius intelligetur.

FINIS PROLEGOMENI TERTII.

## INDEX CAPITUM PROLEGOMENI QUARTI

### DE STATIBUS HUMANÆ NATURÆ.

- CAP. I. *An possit homo in statu puræ naturæ creari, in ordine ad finem supernaturalem?*
- CAP. II. *Utrum potuerit homo in statu puræ naturæ creari, in ordine ad naturæ integritatem, et consequenter an potuerit sine illa integritate creari?*
- CAP. III. *Utrum status innocentiae seu originalis justitiæ, ultra statum puræ et integræ naturæ aliquid addat?*
- CAP. IV. *Qualis sit gratiæ status, et quomodo cum aliis conjungi vel ab eis separari possit?*
- CAP. V. *An status gratiæ, et originalis justitiæ per eandem formam consti-*
- tuantur, ac subinde quomodo separari possint?*
- CAP. VI. *Quis et qualis sit status hominis in natura lapsa?*
- CAP. VII. *Utrum homo in statu naturæ lapsæ careat libertate, quam in sua pura natura haberet?*
- CAP. VIII. *Utrum in statu naturæ lapsæ homo sit intrinsece debilior ad operandum bonum, quam esset in statu puræ naturæ?*
- CAP. IX. *Utrum in statu naturæ lapsæ debilior sit homo ad operandum, quam in pura natura, saltem ob causas extrinsecas?*

## PROLEGOMENUM QUARTUM.

DE

# STATIBUS HUMANÆ NATURÆ

### CAPUT I.

AN POSSIT HOMO IN STATU PURÆ NATURÆ CREARI, IN ORDINE AD FINEM SUPERNATURALEM?

1. *Status quid hic sit, et quomodo in civili et canonico jure usurpetur.*—Explicatis nominibus gratiæ et liberæ naturæ, varios ejusdem naturæ status distinguere necesse est, quoniam licet talis natura semper ope gratiæ indigeat, multo vero magis, pluribusque titulis ac modis in uno quam in alio statu, ut omnes fere theologi animadverterunt. Prius vero declarare oportet quid nomine status in præsentī significetur. Aliter enim hæc vox in moralibus seu civilibus rebus, aliter in præsentī accipitur. Status enim in jure civili significare solet conditionem personæ, prout est sui juris vel alieni, servus vel ingenuus, quomodo sumitur in titulo ff. de Statu hominum. In jure autem ecclesiastico, et Theologia morali, status significare solet rationem aliquam vivendi cum obligatione aliqua vel immobilitate, sicut appellatur status matrimonii, vel religionis, aut episcopatus, ut videre licet in D. Thom. 2. 2, quæst. 183 et sequentibus. In præsentī vero, non his modis proprie sumitur, sed per quamdam proportionem, ut dicit conditionem seu modum se habendi totius humanæ naturæ in ordine ad suum ultimum finem, secundum divinæ providentiæ ordinem. Et sic potest accommodari definitio Scoti in 4, distinct. 3, quæst. 3, artic. ult. : *Status est stabilis permanentia, legibus divinæ sapientiæ firmata.*

2. *Vie et patriæ status.*—*Status naturæ integræ et lapsæ.*—*Status puræ naturæ.*—Sicque in genere duplex distinguitur a theologis status humanæ naturæ, scilicet, viæ et termini, id est, status hujus vitæ, qui est beatitudinis

acquirendæ, et status patriæ, qui est beatitudinis jam possessæ, et per antonomasiam nomen status meretur, quia solus ille est, omnium bonorum aggregatione, perfectus, ut Boetius dixit, solusque perfectam immutabilitatem possidet. De illo vero in præsentī non tractamus, quia ad materiam de Beatitudine spectat. Agimus ergo de statu viæ, quem antiqui theologi in duos tantum distinxerunt, nimirum naturæ integræ et lapsæ, ut ex D. Thoma 1. 2, quæst. 109 tota, Gabriele in 4, dist. 1, q. 2, et aliis sumitur. Verumtamen hæc divisio data est de statibus quos, in diversis temporibus, de facto habuit humana natura; supponimus autem neutrum illorum esse statum puræ naturæ. Nam, ut infra contra hæreticos et aliquos catholicos ostendemus, uterque illorum aliquid addit ultra id quod pura humana natura ex se postulat; et ideo Cajetan. et moderniores theologi tertium considerarunt statum, quem pure naturalium appellarunt, qui, licet de facto non fuerit, ut suppono, et infra juxta sanam doctrinam ostendam, cogitari tamen potest ut possibilis, et illius consideratio ad aliorum intelligentiam necessaria est, quia revera hic status est veluti aliorum fundamentum; ideoque de illo in primis dicendum est; postea vero de aliis duobus, et de variis membris in quæ subdividi possunt, disseremus.

3. *Unum positivum, alterum negativum status puræ naturæ postulat.*—Status ergo puræ naturæ duo includit et requirit: alterum positivum, nimirum, ut in eo habeat natura humana cum perfectione essentiali omnes naturales facultates et concursus ac providentiam Dei sibi naturaliter debitam; alterum negativum, ut, videlicet, nihil habeat naturæ superadditum, ei non debitum, sive malum, sive bonum, hoc est, ut nec peccatum habeat, nec,